



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Arelatensi Archiepisc.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

res, postquam fuerint ad alias translati Ecclesias, & in eis præbendas seu alia ecclesiastica beneficia consecuti, occasione attitulationis seu alia causa nihil sibi juris in Ecclesia vestra valeant vindicare, nec provisionem exposcere, nisi habitu religionis assumpto, cum aliis fratribus ibidem assidue servituri. Nulli ergo &c. prohibitionis atque constitutionis &c. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

*ARELATENSI ARCHIEPISC.*

*Epist. 464. Ut Abbatem S. Gervasij ad obedientiam atque officium reducat. Vide infra epist. 476.*

**I**ncumbit nobis ex debito pastoralis officij ut justa postulantibus audientiam cum efficacia præbeamus, maxime ubi eorum vota & pietas adjuvat, & explorati juris veritas non relinquit. Ad audientiam siquidem nostram te significante pervenit quod Abbas sancti Gervasij de Fos excommunicatos & interdictos tuos pariter ad divina & sepulchram admittit, procuraciones debitas, obedientiam, & reverentiam, prout de jure tenetur & debet, exhibere tibi penitus contradicit. Nolentes igitur ut juri tuo per eundem Abbatem super hoc valeat derogari, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut in ipsum Abbatem, si in hac \* parte duxerit persistendum, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo censura possis ecclesiastica coercere. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Decembris.

\* f. pertinacia

*RICARDO ABBATI & Capitulo Compendien.*

*Epist. 465. Ipsorum jurisdictionem & potestatem quam super Clericos infra terminos Compendij habitantes usque ad hæc tempora rationabiliter habuistis, & nunc etiam justè & pacificè possidetis, vobis & per vos Compendien. monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes ut nulli &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Januarij.*

*ARELATENSIS ECCLESIAE suffraganeis.*

*Epist. 466. Ut Archiepiscopo suo obediant.*

**C**um secundum doctrinam evangelicam, quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos eis eadem facere debeatis, eam reverentiam vos convenit præstare Prælati quam vobis vultis à subditis exhiberi. Sanè cum vene-

rabilis frater noster Arelaten. Archiepiscopus Metropolitanus vester illis studiis & meritis adjuvetur ut commendationibus non indigeat aliorum, fraternitati vestræ duximus auctoritate præsentium injungendum, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ei tanquam patri & Episcopo animarum vestrarum devotè studeatis & humiliter obedire, ad vocationem ipsius, nisi evidens necessitas contradicat, secundum traditionem canonicam sine difficultate qualibet accedentes. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

*ARCHIEPISCOPO & Capitulo Arelaten.*

**N**ihil magis esse religioni contrarium credimus vel absurdum, quam si in eadem Ecclesia in professione & ordine & religione ac moribus & vita & habitu servitorum diversitas natriatur. Ne igitur in Ecclesia vestra, in qua regularis ordo noscitur institutus, hujusmodi ultrà confusio se perniciosè valeat immiscere, auctoritate præsentium districtius prohibemus ne in Ecclesia vestra de cetero cujuslibet meriti vel nobilitatis instinctu aliquis in Canonicum vel in Clericum admittatur, vel Præpositum, aut Decanum, aut aliquem officialium penitus eligatur, nisi professione & habitu se regularem ostendat, & secundum beati Augustini regulam in claustrum & Capitulo regulariter converteretur, ne status religionis, qui jam ibi per Dei gratiam confirmatus esse dignoscitur, alicujus mutabilitatis dispendio subvertatur, & resilire paulatim à religionis proposito cujuslibet prætextu malitiæ compellatur. Datum Laterani Nonis Decembris.

*Epist. 467. Ut in Ecclesia Arelat. nullus recipiatur in Canonicum, nisi qui proficisci voluerit ordinem Canonicorum S. Augustini.*

*Epist. 468. De infirmis excommunicatis ad cautelam absolvendis, donec revalescant.*

*CENADIEN. EPISCOPO.*

**L**icet ecclesiasticis institutis, quæ provida deliberatio sanctorum patrum instituit, à nullo debeat obviari, tamen cum justa contingit impedimenta concurrere, quæ institutorum ipsorum ex necessitate processum impediunt, juxta discretionem in medio residentis rigor est ecclesiasticus temperandus. Unde nos tuæ justæ petitioni faventes, ut valetudinariis, senibus, & infirmis diocesana tibi lege subiectis, qui pro injectione manuum in personas ecclesiasticas in canonem latæ sententiæ incide-

*Epist. 468. De infirmis excommunicatis ad cautelam absolvendis, donec revalescant.*